Tobiae leucomata / [Karl David Brecht].

Contributors

Brecht, Karl David.
Mauchart, Burchard David, 1696-1751.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Joh. Heinr. Philipp. Schrammii, [1743]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/tysczc8x

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

TOBIÆ LEVCOMATA

PERMITTENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA

PRÆSIDE

BURC. DAV. MAUCHART,
Med. & Chir. D. Har. & Anat. Prof. Ord.
Consiliar. & Arch. Wirt.

DISPUTATIONE DILUCIDABIT

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores & Privilegia Doctoris rite capessendi,

RESPONDENS

CAROLUS DAVID BRECHT, Thailfingensis.

Die 24. Maji, A. M DCC XLIII.

TUBINGÆ,
Typis JOH. HEINR. PHILIPP. SCHRAMMII.

PRÆFATIO.

FAlcem immittimus in messem non penitus alienam, dum senis Tobiæ λευκώματα *excutimus, nec audemus aliquid, quod alii ex ordine Medicorum plures circa physicæ ac medicinæ objecta biblica non ausi passim sint antea. Data id opera egerunt Bartholinus, Wedelius, Scheuchzerus, Warlizius. Et quidni objecta fori mixti suæ vindicantur quodque facultati? Theologum explicare theologica, Medicum medica, ubicunque occurrant, par est: Sed & inficias non est eundum, quod sæpe tam arcto nexum vinculo, unum, sed ad plures scientias & facultates spectans, objectum, hominem requirat exegetam, profundæ, variæque eruditionis, & ex utroque cæsarem, vel saltim diversarum facultatum doctores, invicem conferentes, deliberantes, decernentes. Nostra non augusta, sed angusta nos ipsos metimur ulna. Non omnia hujus telæ fila è nobis ducimus ipsis, instar araneæ, nimis enim fortasse tenuia forent; sed apes æmulamur, quæ mel è variis exsugunt flosculis, digerunt, excoquunt, perficiunt: Addimus enim & proprias meditationes, criticasque*

casque reflexiones, atque sic, quæ nuperrima in disp. sati prolixa de maculis corneæ, de leucomate s. albugine dicend. supererant, jam supplemus.

Quamvis autem censeat varia eruditione celeber. Th. Bartholinus (a) perpauca superesse, quæ de Tobiæ morb. & curatione scribi possint, quia omnia fere absolverit Hieron. Bardus in Med. cath. C. 4. §. 1. & 2. & ante illum Francisc. Vallesius de sacra philos. C. 42. ipseque ideo Bartholinu nonnisi pauca de pisce, qualis fuerit, ipsiusque fellis virtut medica commentetur; Nos tamen aliqua, nec levis ea mo menti, superesse putamus circa ipsum Tobiæ affectum ocula rium, quà genesin formamque affectûs, modum & eventum curationis. Sed fabulæ, prosopopœiæ, ephemeridibus dome sticis, apocrypho libro nos insudare, & de lana caprin disputare caussabuntur illi, qui solidissimis tot auctorum (b criticis demonstrationibus convicti, nec canonicum & theo pneustum esse Tobiæ librum, nec tam antiquum, ac ipse Tobias vel quicunque author libri prætexit, nec veram esse, sed fictitiam historiam contendunt. Verum enim vero si vel ma ximè non adstipulemur communi Pontificiorum persuasion de canonica Tobiæ authentia, ipsumque grave concilii Tri dentini anathema, quo fulminat in eos, qui Tobiam è canon expungunt, non attendamus; Tamen & nobis licebit d phænomenis physico-medicis, circa Tobiæ leucomata obvii operam impendere, quam alii tot celeber. viri in eo vel de fen

(a) Thom. Bartholin. de morbis biblicis §. 14. p. 56.

(b) Chemnitius in exam. concil. Tridentini. Francisc. Juniu Chamierus. Rainoldus. Spanhemius. Calovius. Friedlie bius in Theolog. exeget. Herman von der Hardt. Jol Albert. Fabricius Lib. Tobiæ, Judith &c. græcè & latine in prolegomenis in Tobiam. Reverendiss. Dn. Cancella D. Pfaff in bibliis german. in fol. &c.

fendendo, vel confutando navarunt indefessam. Dubiis contra Tobiam partim nova è nostris reflexionibus accumulabuntur, partim vetera confirmabuntur, licet ingenuè non minus elidantur horum aliqua, intempestivè opposita.

Itaque de Levcomatibus Tobiæ, patris, acturi, eum tractationis ordinem servabimus: 1) *Variantes lectiones conferentes, græcum Drusii exemplar sequemur.* 2) *Trademus, an, & quomodo ab illapsis avicularum stercoribus Tobiæ morbus ocularius oriri potuerit?* 3) *Qualis oculi morbus sit Levcoma? & qualis fuerit Tobiæ?* 4) *An, & quomodo contigerit horum, sic dictorum levcomatum curatio instantanea? Faxit luminum Pater, ut aliquæ etiam sapientiæ ac veritatis scintillæ hanc de cœcitate tractatiunculam irradient!*

§. 1.

Ætas *libri Tobiæ*, si ipsum audiamus Tobiam, metienda est ab illa decem tribuum Israëliticarum abductione in captivitatem sub regno *Hoseæ* Israëlitico (*c*) per Regem Assyriorum *Salmanassarem*, (*d*) id quod accidit An. mundi circiter 3206. atque sic ante *Christum* natum sex fere seculis, & brevi ante Romam conditam. Tobiam, Judæum, hebraicè tum scripsisse verosimillimum videri posset. Ast quamvis aliquot *editiones hebraicè* prostent, inprimis *Munsteri*, à Judæis Constantinopolitanis ei suppeditata, atque *Fagii*, nullum tamen exemplar Tobiæ hebraicum esse authenticum, plurimi non saltem

(*c*) II. Regum. C. 17.

(*d*) Sic vocatur II. Reg. c. 17. & in editione hebræa: in græca verò Enemessarus. An duplex nomen habuerit? aut num corrupta fuerint vulgata exemplaria? nihil temere statuendum esse monet Drusius.

tem è Proteſtantibus, ſed et ipſi fatentur Pontificii: *Chaldaica* vero lingua utrumque Tobiam (*e*) res ſuas in commentarios retuliſſe prætexunt, & ex hoc prototypo verſionem adornaſſe latinam *Hieronymum*, interprete Judæo, qui, utriusque linguæ peritiſſimus, chaldaicum expreſſerit verbis hebræis, & Hieronymus, accito notario, ſermonibus expoſuerit latinis, idque unius diei labore perfecerit (*f*).

§. 2.

Cum autem chaldaicum exemplar nullibi ab eo tempore extiterit amplius, Judæi etiam Tobiæ librum *Esdræ* temporibus ignoraverint, & nedum hodie inter canonicos admittant, *optima* vero *græca exemplaria* maximam originalis textus ſpeciem præ ſe ferant, & à variæ religioni chriſtianæ addictis pro tali vel habeantur, vel ſaltem in conſortium cum latinis & hebræis exemplaribus trahantur; Placuit nobis pro fundamento ponere *græcam Tobiæ editionem*, quam *à Druſio* publicatam typis denuo mandavit, ſuaque verſione illuſtravit latina *Fabricius*. (*g*) Reputat vero idem celeber. vir, in præfat. p. 4. longè veroſimilius eſſe, Tobiæ librum græcè effictum fuiſſe à quodam Helleniſta poſt Hieroſolymam à Romanis everſam, annum circiter à nato Chriſto centeſimum.

Chronologica hæc ideo nobis videbantur attendenda, quòd

(*e*) Hiſtoriam Tobiæ nec à ſolo patre, nec filio, ſed & aliis ſcriptam & abſolutam eſſe, ipſa biographiæ illorum phænomena teſtantur.

(*f*) Hieronymus ipſe hæc refert in præfat. ad Chromat. & Heliodorum, quanta vero cum ἀκριβείᾳ hoc fieri potuerit, quantaque fides huic latinæ verſioni, aliisque huic ſuperextructis ſit habenda? ipſa res, factumque loquuntur.

(*g*) Joh. Alb. Fabricii Liber Tobiæ, Judith, oratio Manaſſe &c. 8vo. Francof. & Lipſ. 1691.

quòd vox λεύκωμα, qua denotatur ocularius Tobiæ morbus, haud occurrit in *Hippocratis* Coi noſtri, ſed *Plinii* tantum, *Galeni*, & qui poſt eum vixerunt Medicorum libris. Magnus vero *Hippocrates* noſter vixit tempore belli Peloponeſiaci Annis mundi 3500. circa medium & finem ſeculi, ideoque poſt illam populi Iſraëlitici captivitatem, atque prætenſam Tobiæ ætatem, tribus fere ſeculis. Jam nec Cicero noſter Medicorum, *Cornel. Celſus*, qui ſub initium primi à Chriſto nato ſeculi floruit, in ſuis de re medica VIII. Libris ullam nec levcomatis nec albuginis facit mentionem, quamvis L. VI. C. 6. de reliquis oculorum affectibus copiosè agat, eorundemque græca nomina utplurimum ſtudiosè recenſeat, vel latinis exprimat vocabulis atque deſcriptionibus. Ejusdem tamen primi ſeculi author ſub Imperat. Veſpaſiano celebris, *C. Plinius Secundus* (*h*) diſertam plurimis in locis facit mentionem albuginis, in conſortio nubecularum, cicatricum, argematis corneæ, dum horum affectuum allegat remedia. Græci v. vocabuli, λευκώμαλος, nullum in hoc authore veſtigium deprehendimus, quamvis nulli dubitemus, ipſi albuginem eſſe, quod Græcis λεύκωμα. *Claudius* vero *Galenus*, Pergamenus finem ſecundi, à Chriſto nato, ſeculi, ſub *Marc. Antonino* atque *Commodo* illuſtrans, paſſim expreſſis verbis glaucomata in ſcenam producit, (*i*) inter affectus oculi & corneæ quidem ejusdem tunicæ. Plinium atque Galenum ſecuti poſtea *Græci*, *Latini*, *Arabes*, omniumque nationum Medici frequenter meminerunt glaucomatis, ſeu albuginis, in hæc usque noſtra tempora.

§. 3.

(*h*) C. Plinius ſecundus Hiſtor. Mundi paſſim, in uno autem C. 6. L. XXIX. multoties albuginis injicit mentionem.

(*i*) Cl. Galenus de ſimpl. med. facult. De medicamentis evporiſtis. De compoſit. med. ſec. loc. &c.

§. 3.

Itaque cum verosimile non sit, Hippocratem, Celsumque glaucomatis oblituros fuisse, si, adeo notabilis affectûs, singularis hæc appellatio græca viguisset; ex hac etiam terminorum medicorum chronologia arguere fas est, editionem Tobiæ græcam, quam tamen authenticam, originalem haberi supra §. 2. diximus, tantam non obtinere ætatem, quantam ipse textus Tobiæ innuit, sed ipsum nati Salvatoris nostri seculum vix attingere, minimum haud superare. *Hieronymi* pariter, An.reparat. per Christum salutis nostræ 329. demum nati, nec versio Tobiæ latina, nec exemplar quod allegat chaldaicum, nec hebrææ editiones quicquam probant ad majorem hujus libri vetustatem, multo minus vulgata latina, sive ab Hieronymo à potiori sit è textu originali reddita, sive ante, sive post illum. Idque tanto magis, quod vulgata et hebræa editio nihil de levcomatibus, s. albuginibus, sed nomen genericum saltem, maculas, allegent.

§. 4.

Ipse *textus*, quantum λευκώματα horumque generationem atque curationem spectat, in *græca Drusiana editione*, cum Fabricii latina versione *sic* habet:

Tobiæ.	
C. 2. V. 9. & 10. Καὶ ἐν αὐλῇ τῇ νυκτὶ ἀνέλυσα θάψας, καὶ ἐκοιμήθην μεμιαμμένος παρὰ τὸν τοῖχον τῆς αὐλῆς· καὶ τὸ πρόσωπόν μου ἀκάλυπτον ἦν, καὶ οὐκ ἤδειν ὅτι στρουθία ἐν τῷ τοίχῳ ἐστί.	Et in eadem nocte postquam sepelissem, redii, & ita pollutus ad parietem atrii obdormivi. Neque facies mea obtecta erat, neque enim aviculas in muro esse sciebam.
Καὶ τῶν ὀφθαλμῶν μου ἀνεῳγότων, ἀφώδευσαν τὰ στρουθία θερμὸν εἰς τοὺς ὀφθαλμούς μου, καὶ ἐπορεύθην πρὸς ἰατροὺς, καὶ οὐκ ὠφέλησάν με.	Et oculis meis apertis aviculæ calidum stercus in oculos meos excreverunt, & natæ sunt albugines in oculis meis, & Medicos adii, nec me juverunt.

F καὶ ἐγενήθη λευκώματα ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς μου

C. 6.

C. 6. V. 2. Τὸ δὲ παιδάριον καλέβη, περικλύσασθαι, καὶ ἀνεπήδησεν ἰχθὺς ἀπὸ τȣ̃ ποταμȣ̃, καὶ ἐβȣλήθη καταπιεῖν τὸ παιδάριον.

V. 8. Ἡ δὲ χολὴ, ἔγχρισαι ἄνθρωπον, ὃς ἔχει λευκώματα ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ ἰαθήσεται.

C. 11. V. 7. Σὺ ȣ̃ν ἔγχρισον τὴν χολὴν εἰς τȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς ἀυτȣ̃, καὶ δηχθεὶς διατρίψει, καὶ ἀποβαλεῖται τὰ λευκώματα, καὶ ὀψεταί σε.

V. 10. Ὁ δὲ υἱὸς ἀυτȣ̃ προσέδραμεν ἀυτῷ, καὶ ἐπελάβετο τȣ̃ πατρὸς ἀυτȣ̃.

V. 11. Καὶ προσέπασε τὴν χολὴν ἐπὶ τȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς τȣ̃ πατρὸς ἀυτȣ̃, λέγων· θάρσει πάτερ.

V. 12. Ὡς δὲ συνεδήχθησαν, διέτριψε τȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς ἀυτȣ̃, καὶ ἐλεπίσθη ἀπὸ τῶν κανθῶν τῶν ὀφθαλμῶν ἀυτȣ̃ τὰ λευκώματα.

V. 14. - - Ἰδȣ̀ βλέπω Τωβίαν τὸν υἱόν μȣ.

Tobias autem descendit (in fluvium scil. Tigrim) ut abluueretur, & piscis de fluvio exiliit, devoraturus Tobiam.

Felle vero inunge hominem, cui sunt albugines in oculis, & sanabitur.

Tu itaque inunge felle isto oculos ejus, tum ille vellicatus deteret, & abjiciet albugines, & videre te poterit.

At filius ejus accurrit ad eum, & prehendit suum patrem.

Et fel illud in oculos ejus adspersit, dicens: bono animo esto, pater.

Cum vero oculi à felle compungerentur, Tobitus suffricuit oculos suos, et de hirquis sive angulis oculorum ejus desquamatæ sunt albugines.

Ecce iterum videre possum Tobiam filium meum.

Ubi ab hac lectione græca recedant, hebræa atque latina, nunc statim indigitabimus in ipsa, quam subjiciemus, analysi physico-medica.

§. 5.

In historia *Tobias* ubique, in omnibus lectionibus, introducitur tanquam à sepultura conterraneorum, occisorum, non æque *lassus*, ac *impurus*, juxta legem Mosaicam, à

contrectatione hominis mortui, domum, antequam lavaretur, ingredi non ausus: Qui ergo *ad parietem atrii*, *in scamno* quodam recubans, *obdormiverit*, & *facie* quidem *nullo obtecta velo*, quale, majoris securitatis ergo, ad illapsum pulveris, insectorum atque similium heterogeneorum præcavendum, illis maximè necessarium videtur, qui conniventibus & hiantibus dormire consueverunt palpebris, in illo affectu, quem *lagophthalmum*, s. oculum leporinum vocant ideo, quod lepores semiapertis oculis somnum capere soleant. Unde & illo ipso historiæ phænomeno, quo Tobias *facie non operta* somnum iniisse, ipsumque stercus *apertis incidisse* ejus *oculis*, dicitur, aliqua præbetur ansa *suspicioni*, *hunc tali laborasse lagophthalmo*, aliquibus à nativitate familiari, aliis è mutilatione palpebræ superioris, vel aliunde. Certè, *nisi supponatur* optimus senex *tum apertos* palpebris haud clausos *habuisse oculos*, nulla plane fuisse illapsi super palpebras stercoris avicularum efficacia, ad producenda seu levcomata, s. maculas in oculo, sive determinatè in ejus tunica cornea, atque sic *tota historiæ* hujus *structura corrueret* uno ictu: *Nisi* quidem, sicut aliqua legunt exemplaria, (*k*) Tobias *è somno expergiscens oculos ad videndum aperuerit*, atque sic avicularum excrementa ipsius oculis tum illapsa fuerint. *Alium modum*, quo stercus avicularum se intra oculum insinuaverit, quamvis oculis clausis dormiverit *Tobias*, fingit *Calmet*: (*l*) Nempe fimum hunc humeris illapsum (etant tombeé sur les epaules, fortassis dicere voluit: sur les paupieres, super palpebras,) defluxisse intra oculos per canthos s. angulos eorum, quum oculos

(*k*) Ita habet tractatus Talmudicus à Joh. Leusdenio in 4to editus Ultrajecti An. 1665.

(*l*) Calmet in commentar. ad biblia, lingua gallica editis splendidiss. in folio.

oculos aperuerit Tobias, atque admota manu, uti ſtatim ſolemus, intruſiſſe intro, quod extus reſtiterat. Sed quomodo feces hæ ab humeris in angulos oculorum depluerint, non patet? niſi error ſubſit, ut loco, les epaules, ponendum ſit: les paupieres. Neque tamen hoc caſu excrementum incidiſſet actu calidum in oculos, cum tamen *Calmetus* ad majorem illius acrimoniæ cauſticæ intenſionem ſupponat ſimul calorem ejusdem notabilem & exurentem quaſi. §. 6.

Sed *alii* ſuperſunt *difficultatum nodi.* Garrulas *an verè neſcivit illas aviculas* ſenex *Tobias*, non hac demum veſpera parietibus atque trabibus atrii propriarum ſuarum ædium innidulantes? *An præterviditi toties* præteriens harum nidum? Anne *ſupinus*, ſcamno incubuit? quod omnino ſupponendum eſt; ſi enim alterutri incubuit lateri, in illum certe oculum; qui ſcamno proximus fuit, ſtercus avicularum illabi non potuit. *Avicularum, in plurali, ſtercus* aſſeritur incidiſſe oculis Tobiæ. Experientia quidem docet, & parentes & pullos podice extra nidum exporrecto alvum exonerare: aſt duæne, pluresve ſimul, eodem momento id egerunt? quod tamen anguſtior nidi porta, ſi hirundines fuiſſe ſupponantur illæ aviculæ, vetat. Si aliam avicularum ſpeciem arguamus, nidumque harum ſuperne totum patulum, atque ſic pluribus aviculis, unà alvum evacuaturis, aptum; caſum plane ſingularem fingere oportet, ſtercora nempe exilia, cylindrica utplurimum, in oculos directe, tres pollices à ſe invicem diſtantes irruiſſe: Repetitim namque, per vices, factam hanc commaculationem nec adſtruit textus, nec oculi ſenſilitas admittit, quæ ab illapſo primum ſtercore non potuit non vel profundiſſimè dormientem excitare, & ne ulteriori ſe exponat incommodo, de diſceſſu, vel cautelis adhibendis monere.

§. 7.

Quale genus avicularum fuerit, neque hebræum, neque græcum vocabulum determinat? *Passeres*, *passerculos* denotat quidem, sed & *in genere minores*, liberè ac familiariter in ædibus nidificantes, *aviculas*. Unde *Hieronymus*, & maxima commentatorum pars vertunt per *hirundines*. Harum stercus, ut omnium avium, particulis abundare salinis ammoniacalibus, acriusculis, rosivis, hirundinum vero, insectis vesci ac victitare suetarum, aliquanto esse acrius, operosa non indiget demonstratione. In græco quidem textu deest per ellipsin substantivum, suo adjectivo, τῷ θερμῷ respondens. Facilè vero liquet, subaudiendum esse ἀφόδιον, excrementum, idque alvinum. (*m*)

Neque heic *occultas* comminisci *qualitates*, oculis singulariter infestas, oportet, quin immo ipsum hoc stercus hirundinis non minus ac alia, turturis e. g. columbarum, lacertarum ab antiquissimis Medicis, ad extergendas oculorum maculas, in collyriis adhibita, pro remedio potuisset inservire, debitè præparatum, tritum, dilutum, ut rectè jam olim annotavit *Vallesius*. (*n*) Accedit, quod *calidum* incidisse hunc fimum & textus asserat, & ipsa rei ac historiæ necessitas atque nexus confirment. Τὸ θερμὸν, calidum, in positivo, non præcisè notabilem magnumque involvit calorem, sed & teporem innuit. Et gratis profecto, ac falsissimè hæc avicularum excrementa statuerentur, vel fervida, vel eminenter calida. Sed & ipse modicus calor, non quidem qua talis, sed quatenus particulas excrementi ad majorem activi-

(*m*) Pythagoræ symbolum in sensu politico sumptum: Hirundines sub eodem tecto ne habeas! i. e. cave à garrulis susurronibus! heic etiam valet in sensu medico.

(*n*) Francisc. Vallesius de sacra philosophia. 8vo. Francof. 1667. C. 42. p. 266.

activitatem, corneam verò oculi tunicam ad faciliorem disposuit receptivitatem, intensive cum causa morbifica conspiravit. §. 8.

Effectus jam examinandus est, *quem illapsa* hæc oculis *excrementa*, *producere* potuerunt, actuque produxerunt. Albugines, seu λευκώματα, hinc natas græcus refert textus: hebræus atque vulgata vel maculas albas, vel simpliciter excœcationem subsecutas, sine effectus determinatione, statuunt. *Eventum* nobis *sic imaginamur*, non è fœcundo phantasiæ lusu, sed justis è rationibus physico-medicis: Fimus in oculos Tobiæ illapsus, acris, calidus, heterogeneus, è particulis inæqualibus, solidis, angulosis, asperulis constans, irritatione facta, stimulo, spinaque quasi infixis in delicatas, sensilesque oculi tunicas è somno expergefecit Tobiam, palpebras confestim ad se invicem adducere, oculosque operire non modo, sed &, quod tantum non semper fieri solet, post illapsa quæcunque in oculos heterogenea irritantia, manibus confricare palpebras, bulbosque oculorum coëgit, unde gravius ac altius magis magisque stercora fuerunt corneæ impressa atque affricta, & probabiliter non statim ipsa macula albida, sed ophthalmia i. e. inflammatio tunicæ conjunctivæ, s albi oculorum, & corneæ tunicæ, pellucidæ illius, quæ centrum hemisphærii anterioris in oculo exornat, erosio, & exulceratio, hinc maculæ albæ, harumque species, λευκώματα, s. albugines successive originem duxere suam. (*o*) Visum tamen hinc è vestigio notabiliter turbari, indistinctum, dolorificum fieri, &, quo labes medium corneæ, oppositum pupillæ, vel totam cor-

(*o*) Manum hic contrahimus in pugnum. Haud enim diu est, quod in disp. de corneæ ulceribus & maculis prolixionem hanc ætiologiam tradidimus, ipsius etiam maxime levcomatis.

neæ ſubſtantiam magis penetravit, atque per menſes annosque inveteravit, eò magis imminui & tandem aboleri viſum oportuit, non abſolutâ quidem & immedicabili cæcitate ſed tali, quæ reſtituto in naturalem ſtatum organo externo reſtituendi quoque viſus reliquerat ſpem, (*p*) licet ita cœcus fuerit Tobias, ut oculum in manu gerere & hodego uti, debuerit, &, cum redeunti ex itinere filio obviam iturus properaret, ad circumpoſita impingeret impedimenta filiumque jam præſentem videre non poſſet, ante curationem, per fel piſcis dehinc inſtillatum, ſuſceptam.

§. 9.

Morbus ergo *Tobiæ ocularius vel in genere* per maculam albam definitur, *vel in ſpecie* per levcoma, ſ. albuginem. Per maculas in oculis natas, albas, intelligitur, utriusque oculi corneæ tunicæ naturaliter pellucidæ, atque cornu, vel corneam tenuem lamellam pelluciditate referentis inductus color albus, non diaphanus, plus minus diffusus, aliquam plus minus ſuperficiei corneæ regionem obfuſcans ſic maculam efficiens, per quam radii viſorii planè nequeunt trajicere, vel certe non ſine impedimento visûs. *Levcoma* vero ſ. albuginem nuper (*q*) *definivimus*, quod ſit macula corneæ alba, lævis, ſpiſſior denſiorve, vel in ejus medio, vel tota ſuperficie convexa, utplurimum cum aliqua eminentiâ, aliquando ſine hac, coloris albo-cretacei, aliquando cum levi quadam inflammatione, ſæpius ſine hac radios luminis intercipiens, ut nullus, vel exiguus ſaltem luminis ſenſus ſuperſit. Quamvis autem dolendæ authorum confuſioni & æquivocationi uti circa affectus oculariorum in genere, ſic circa denominationes atque ſpecies macularum

(*p*) Sic vulgo pueri dicuntur cœci, quibus à variolis conglutinatæ ſunt palpebræ aliquandiu.

(*q*) Præſidis diſp. de maculis corneæ §. 8. p. 15.

cularum corneæ, nuper jam publicè cum aliis ingemuerimus cordatis medicis; Speramus tamen nostris lucubrationibus hasce nebulas aliquantum discussas esse, atque distinctionem non modo argematis (*r*) ab albugine, quos differentes affectus pessime confundunt aliqui, sed & differentias macularum corneæ inter se adduxisse sedulo.

Patet hinc, ab omnibus commentatoribus hæc vel levcomata, vel maculas in genere, ab alterutro textu Tobiano memoratas, *non recte verti* nec *per pelliculas*, Felle, Häutlein, nec per *cataractas*, Staaren, licet & ipse heic hallucinatus sit ophthalmiater ille, in Germania olim haud incelebris, *Bartisch*, (*s*) morbum Tobiæ ocularium, ad cataractæ classem referens. Vulgo, aliisque, qui medici non sunt, ignoscendum est, quod abusive varia oculorum vitia, cataractarum, respectu albedinis, aliquatenus æmula vocitent cataractas, uti *plebs Gallica*, teste *Woolhusio*, *cataractam* appellat *externam*, certam macularum corneæ speciem, quam ægidem, αἰγίδα, vocant. Nimirum pelliculæ, pterygia, sunt membranæ p. n. les extus adnatæ & corneæ adhærescentes, eminentes, mobilesque: Cataracta vero morbus profundius in oculo, post pupillam in camera oculi secunda obvius, sedemque figens, & per corneam, naturalissime se habentem, inspicienti transparens.

§. 10.

Itaque, quod textum spectat, *morbus specificus Tobiæ* ocularius in propatulo est: *Macula alba*; *vel Levcoma*. *Neque* tamen adhuc *res est in salvo*. Non levem, non superficiariam, non exilem atque partialem quandam fuisse maculam, vel solum amissi visûs, cœcitatis, phænomenon testa-

(*r*) --- --- --- eadem: it. de corneæ ulceribus. & de ungue oculi.

(*s*) Georg Bartisch, Augendienst. p. 65.

teſtatur: Medici etiam, quos conſuluiſſe prætendit Tobias, hunc juvare non potuerunt. *Quomodo* igitur tantam atque *inſtantaneam opem* tulit fel piſcis abs filio inunctum? Quid ſibi vult illa levcomatum desquamatio ſ. decorticatio? C. XI. v. 12. Levcomatum certè curatio nec tam ſubito & facilè, ut vulpes pyrum comeſt, procedere, nec per modum desquamationis fieri ſolet ordinario, ſed ſucceſſive per inſenſilem diſſipationem, reſolutionem humoris intra poros corneæ ſtagnantis, vel per attritionem lamellarum, attenuationem, lentiſſimamque tunc ac inſenſibilem quaſi exfoliationem. Immo ſi vel non adeo profundam, uti levcoma eſt, maculam ſupponamus, neque illa tam ſubito & plene poteſt abſtergi atque tolli, multo minus decorticari.

§. II.

Quam ob rem *Tobiæ* hæc *putatitia levcomata* ad illam potius macularum corneæ ſpeciem, referenda videri poſſent, quæ græcis audit παράλαμψις, macula, cicatrix reſplendens, nonnullis margarita oculi, ob relucentem quaſi unionis album colorem, Gallis le grand nuage, quæque floccum nivis aliquando æmulatur: Cum nempe è craſſo ac viſcoſo humore indurato, in ſuperficie ac poris corneæ magis magisque congeſto pellicula concreſcit, cui induratæ aliæ ex aliis ſupercreſcunt lamellæ, inſtar ſtratorum ſuper ſtratis; quæ à motu palpebrarum, ſuperioris maximè, lævigantur, magisque conſtringuntur: Tales igitur pelliculæ p. n. les ab acri felle inuncto, motuque frictionis, omnino potuerunt inſtar ſquamarum decorticari. *Ad paralampſes* itaque *potius, quam ad levcomata hæ maculæ Tobiæ reſtringi* poſſent, niſi *nova* & huic ſuſpicioni ſe *difficultas* opponeret, ex ipſo fellis appliciti ac curationis eventu promanans. Tob. namque C. XI. v. 12. dicitur quod levcomata hæc ab angulis oculorum, qui Græcis κανθοὶ, Latinis hirqui vocantur, fuerint

ſuerint desquamata. Atque ſic morbus hic non ſolam obſedeſſe corneam, ut levcomata ſolent, ſed angulis etiam oculorum inhæſiſſe videtur, morbusque à levcomate diverſus, vel ſaltem cum hoc complicatus fuiſſe arguitur.

Sed *nihil* nos *moratur hæc difficultas.* Ordinarius enim iſte in angulis patentior atque declivis eſt exitus impuritatum omnium, quæ inter palpebras ac oculi bulbum agitantur. Nec ſequitur, ſi levcomata ultimato de angulis ſeceſſerunt desquamata, poſtquam ſcil. oculos, ab inunctione cellis aliquandiu clauſos, iterum aperuit cœcus Tobias, ergo affixa fuerunt antea & adhæſerunt ipſis oculorum angulis.

§. 12.

In hoc *cœcitatis ſtatu* caligavit bonus Tobias, juxta vulgatam, C. 14. v. 3. *quatuor annis*, juxta græcum textum integris *octo annis*, periodo utrinque ſatis moleſta & momentoſa, reſpectu miſerandæ cœcitatis & ingraveſcentis morbi. Levcomata enim, aliæque cicatrices & maculæ corneæ, quo diutius perſiſtunt, quo in ætatem cadunt adultiorem, ipſumque ſenium, eo majorem important curationis vel difficultatem, vel impoſſibilitatem. *Fruſtra*, ſine ſucceſſu intento, *adhibiti* ſunt *Medici.* Sit ita. Nihil opus eſt, hic fictitiam redarguere hiſtoriam, non poſſumus hoc opprobrium, ſi quod eſt, ſemper declinare. Lapis alliſionis ſubinde eſt in ipſo gravi morbo inſuperabili: alias in ægro negligente, refractario, licentioſo, aut adſtantibus, amicis, famulantibus, intempeſtive ſedulis, moleſte & periculoſe officioſis, naſutulis: ſed & aliquando in ipſo ignorante, torpido, imprudente, temerario, nimis timido, ebrio Medico. Profecto & noſtra ætate optandum eſt, ut ſingulare ac difficillimum ophthalmiatriæ ſtudium plurimi melius excolant Medici! Turpe Medico quis duxerit, à Raphaële angelo ſuperari? licet hic ipſe non adhibuerit niſi naturale reme-

dium, fel piſcis. Conſentiunt enim plerique authores, (t) ipſi etiam romano-catholici, remedium quidem naturale ſed curationem tamen vel inde miraculoſam fuiſſe, quod medicamentum hoc ophthalmicum ab angelo primum ſit revelatum (de quo jam non diſputabimus) & energiam ſuam intra tam breve tempus, unius dimidiæ horæ, tam plene & feliciter demonſtraverit.

Sub incudem ergo vocabimus *remedium* hoc, *modum* & *eventum curationis*. *Fel* fuit piſcis è rapido & ingenti flumine Tigri. An *Callionymi*, *Siluri?* (*u*) an *Hippopotami* quem ſuſpicatur *Grotius?* an *Vituli marini* juxta *Bardum*? An *Lamiæ*, piſcis, quem ob amplum rictum, majorem Tobiæ filio metum incutientem huc quadrare putat Th. *Bartholinus?* An *alius majoris* cujusdam rapacis fuerit *piſcis*, parum intereſſe cenſemus? Neque tamen ideo neceſſe videtur, tam immanem grandemque fingere piſcem, cui apprehendendo & in terram extrahendo vegetus, Angeliqui hortatu obfirmatus non ſuffecerit adoleſcens, græcus textus ſimpliciter habet: ἰχθὺς, piſcis. In *magna* illa, miraculoſa quidem, *piſcium captura Petri*, (*x*) mentio fit ἰχθύων μεγάλων, numero centum quinquaginta trium, uno rete contentorum, & in terram à Sancto Petro protractorum, citra retis laceationem. Fundulum profecto, aut carpionem ſimilemque exiguum non fuiſſe piſcem, totus edocet hiſtoriæ contextus. Abundet ergo per nos prædicatum magnum quod vulgata, Hebræa, Italica &c. ſervant editiones. Noſtrum non eſt litem dirimere illam: An angelus atque Tobia

(*t*) Lyranus, Dion. Serar. Sanchez, Valleſius. Cornel. à Lapide, Druſius, Calmet. Placet nobis Calmeti judicium: Poſſit quemlibet heic ſuo abundare ſenſu.

(*u*) Quod plerique ſtatuunt. vid. modo recenſitos autores.

(*x*) Johan. XXI. 11.

bias piſcem hunc aſſatum comederint totum, an verò tantam ex illo ſaltem portionem, quæ uni ſuffecerit cœnæ, reliquum vel abjicientes, vel pro ulteriori ſervantes viatico. Cum *Milone Crotonienſi* voracitate certaturos fuiſſe non omniabimus.

Fel duplex eſt: *Hepaticum*, quod ex hepate per poros biliarios in ductum hepaticum, & in aliquibus animalibus rectà, (*y*) uno ſimplici ductu, inteſtino infunditur duodeno, citra bilis è fellea veſicula, qua ſcil. carent, admixtionem; in aliis vero plerisque media via recipit adfluentem è cyſtide fellea per peculiarem ejus ductum, cyſticum dictum, aliam adhuc bilem: *Cyſticum*, quod peculiari aſſervatur veſicula, hepati annexa. Ut *colore & conſiſtentia* differt duplex hæc bilis, ita etiam *acrimonia* & *amaritie*, quales fel cyſticum multo habet extantiores. Facilè potuit junior Tobias *fel integrum reponere*, quod juſſerat Angelus C. VI. 4. nimirum exempto toto hepate, & poſtquam hepar in alios uſus converterat C. VIII. 2. bilem nihilominus, veſicula ſua naturali concluſam, ligato ductu cyſtico, integram ſervare ac ſecum ſine incommodo portare, immo & citra metum corruptionis in climate licet & tempeſtate calidis, tantum abeſt, ut, factâ omnino nonnullarum tenuiorum, aquearum transpirantium particularum jacturâ, reliquum fellis tanto ſit factum acrius, & ad præfixum ſcopum aptius.

§. 14.

Fellis in genere *virtutem medicam* operoſe nolumus hic adſtruere. Labore hoc levarunt nos antiquiſſimi pariter ac recentiores phyſiologi ac medici. *Cyſtica* vero maxime *bilis*

 abun-

(*y*) e. g. in cervo. Unde venatores lapidem jurant Jovem, cervum felle deſtitutum eſſe, quoniam veſicula fellea caret; Sed tamen non deſtituitur felle hepatico, quod per ductum hepaticum & choledochum inſtillatur duodeno.

abundat principiis ſalino-alcalinis atque *ſulphureis* inciſivis abſterſivis, mundificativis, ad abſtergendas corneæ maculas apprime facientibus. In ſpecie vero animalium calidorum, rapacium, carnivororum fella majorem obtinere acrimoniam, haud negamus. Ad varios oculorum affectus externos rectius, quam ad internos, ſpecialiſſime certorum animalium fella commendarunt jam olim Medici: & piſci quidem *Callionymi* ſ. Uranoſcopi, fel, *Plinius*, *Galenus* *P. Ægineta*, *Rhaſes*, (z) *Teſtudinis marinæ* ad humorum ſuffuſiones *Galenus*. (*aa*) Idem *vulturis* cum marrubii ſucco & melle attico ad viſus obſcuritatem. (*bb*) Idem porro *Hirci*, *Canis marini*, *Galli*, *Leonis*, contra albugines. (*cc*) Plura cumulare nolumus exempla. Quemadmodum ergo bilis cyſtica in aliis vehementer, in aliis mediocriter amara & mordax ad ipſa etiam varia corporis ulcera detergenda; imo, in uſu œconomico, emaculandi & abſtergendi ſcopo ſolet adhiberi; ſic & in illis oculorum affectibus, qui ſimilem ſibi vindicant indicationem. Aliquando *fel dilutum* aliquo ſucco, aqua, ut acrimonia temperaretur, adhibuerunt: heic *merum*, ſibi relictum, *applicuit Tobias*.

§. 15.

Liquidorum ejusmodi *collyriorum applicatio* varia eſt *per inſtillationem*, *affuſionem*, *balneationem*, *illinitionem*, in tincto digito, ſatius autem penicillo, impoſitionem collyrii impræegnati linteoli, vel imbutæ tenuiſſimæ bracteatorum aur

(z) Plinius ſecundus, Hiſt. mund. L. XXXII. C. 7.
Galenus de ſimpl. Med. facult. L. X. ubi multorum animalium fella recenſet, & viribus diſtinguit.
Paulus Ægineta Encheirid. L. VII. p. m. 637. tit. chole ſ. fel.
Rhaſis L. IX. C. 27.

(*aa*) Galen. de ſimpl. med. fac. L. X. tit. chole ſ. fel.

(*bb*) -- -- id. de remed. paratu facil. p. m. 156. b.

(*cc*) -- -- id. ibid. & de remed. fac. parab. ad Solon. C. 12.

auri vesicæ, &c. & ægris quidem jacentibus supinis, palpebris statim abhinc clausis, ut ne medicamentum justo citius oculis iterum effluat. In historia curationis, Tobiæ, cap. VI. v. 8. C. XI. v. 7. occurrit verbum ἐγχρίω, *inungo*, illino; ast C. XI. v. 11. προσέπασε, *adspersit*, bilem filius in oculos patris. Latina *Hieronymi* versio ponit: *Lenivit* oculos Patris sui. *Calmet* reddit hoc: *frotta les yeux* de son Pere, *fricuit*. Dubium itaque manet, *an Tobias filius* simpliciter *instillaverit*, *vel adsperserit*, *vel affricuerit* fel piscis in oculos patris? Vulgata præmittit hanc circumstantiam, quod, postquam adorassent Deum, & gratias egissent, consederint! probabile scil. omnino est, *sedenti* potius *cæco Parenti*, quam stanti, fel applicuisse filium, tum, ut copiosius, rectius atque commodius adhiberi, tum ut melius retineri posset. Paucissimi sunt C. *Marii*, qui sibi stantes patiantur extrahi varices! *Patientiam* atque *spem inspiravit* ophthalmiater *filius*: Θάρσει; inquit ὦ πάτερ, bono animo esto! Græcus noster textus non addit, *quamdiu toleraverit fellis efficaciam* & mordacitatem: Vulgata per *dimidiam* fere *horam* sustinuisse refert. Certe *longum non* fuisse intervallum arguunt verba sequentis versiculi duodecimi, ubi dicitur: cum vero oculi à felle compungerentur, morsicarentur, (id quod statim, vel brevi post applicationem evenit procul dubio, si non in ipsa spissiore ac insensiliore macula, tamen in tunica conjunctiva oculi & palpebrarum.) Tobitus suffricuit oculos suos -- & desquamatæ sunt albugines. §. 16.

Fellis hic fuit *effectus*, ut compunxerit oculos, Tobitus suffricuerit eos & de hirquis s. angulis oculorum ejus desquamatæ sint albugines. Vulgata sic habet: & cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum

recepit. *Modum ſic* concipimus: Acre, ſtimulans, rodensque fel (§. 14.) ipſam quidem craſſam & inſenſilem quaſi maculam moleſto dolore non multum affecit, ſed tunicam tamen oculi & palpebrarum conjunctivam, & tarſos palpebrarum & carunculam lachrymalem, notabili commorſione ſtimulavit, ægrumque ad frictionem invitavit, ut fieri ſolet in omni irritatione, ab illapſis oculo. Prolexit idem ſtimulus copioſiorem ſeri lachrymalis affluxum, quo fellis quidem acrimonia nonnihil temperata & diluta fuit, attamen ſatis adhuc valida perſtitit ad incidendum, attenuandum, ſeparandum maculæ hujus pelliculoſum craſſamentum, ſeu cortices ex humore craſſo concretos. Juvit egregie fellis energiam juncta frictio, ſuffrictio, ad ſeceſſum cogens humectatas arroſasque pelliculas; quæ ergo tum verſus oculi angulos, majores probabiliter, ſ. internos, quorſum aliæ quisquiliæ oculo exiturientes concedunt, delapſæ ac divergentes, palpebris diductis, apertis oculis ſive deciderunt, ſive extractæ ſunt, an ab ipſo patre, an filio, dubium? quod vero nihil importat.

§. 17.

Majoris vero momenti eſt, & *altioris indaginis* non modo *ſubitanea* quaſi, vel paucis certe minutis accidiſſe prætenſa *desquamatio*, ſed etiam *visûs reſtitutio*, eaque, ut videtur, *in integrum*. De intervallo fellis appliciti, & curationis abſolutæ ſupra diximus §. 15. Conſpirant verba vulgatæ: C. XI. v. 15. Statimque viſum recepit. Viſus reſtitutionem teſtantur Tob. C XI. v. 13. ubi ἰδὼν τὸν υἱὸν, videns, cœcus antea Tobias prædicatur, & v. 14. præmiſſa humili piaque panegyri exclamat: ἰδὸ βλέπω Τωβίαν τὸν υἱόν μου. Ecce video filium meum. C. XII. v. 3. Ubi Tobias filius inter beneficia ab angelo profecta, refert, quod patrem ſanaverit, ut græcus in genere loquitur textus, vulgata vero: lumen

cœli

cœli videre fecerit. C. XIV. 3. in græco & vulgata visum recepisse, repetitur, imo, juxta vulgatam C. XII. v. 14. missum se à Deo profitetur angelus, ut curaret Tobiam, nimirum à cœcitate. Quamvis autem ad videndum lumen cœli, & adspiciendum hominem visus etiam sufficiat non omnino perfectus, facile tamen largimur, plenam, radicalem perfectamque fuisse curam ex angeli consilio præstitam.

§. 18.

Sed liceat, absque contradicendi studio, vel impietatis opprobrio, *scepticum* tantisper *agere medicum*. (*dd*) Supra §. 16. jam prælibavimus quædam. Supponimus autem cum tantum non universo commentatorum agmine, medium, modumque curationis naturales fuisse, physico-medicos, quamvis singulari Dei gratia exaltata fellis efficacia fuerit. Jam vero *aut macula*, (s. levcoma, s. paralampsin admittas fuisse,) *adhæsit tenaciter* corneæ? *aut obiter* saltem *acrevit*, ipsasque corneæ lamellas non implicuit, non obstruxit, non condensavit? *Si prius*: Nec facilè, tamque cito separari, nec ita secedere & desquamari potuit, quin excoriationem, hæc vero novam reliquerit maculam. Unde labor curationis in orbem rediisset. Nulla autem mentio fit ulterius adhibiti post desquamationem remedii, sed visûs statim restituti, & diu procul dubio usque ad mortem perstantis integri. *Si posterius*; non fuit nec levcoma nec paralampsis; nec, quodcunque supponatur vitium, tot annis jugiter inhærere potuit quin potius motu bulborum oculi & palpebrarum, humidoque lachrymali solvente, diluente, abstergi debuit, & excuti.

§. 19.

(*dd*) Religionem Medicorum suspectam reddiderunt aliqui. Sed legant hi dissertationem Beat. Illustris J. J. Bajeri περὶ τῆς τῶν ἰατρῶν εὐσεβείας.

§. 19.

Ad *verum miraculum* & omnipotentem Dei manum qui recurrere voluerit, grave habet onus probandi, & tollendi tot reliquos *lapides offensionis*, *morales*, *geographicos*, *chronologicos*, *theologicos*, *auctoritatis* &c. in libro Tobiæ obvios. Nostrum non est, hæc à foro medico aliena vel excutere, vel repetere potius, à tot aliis pro & contra ventilata. Sufficit, nos ostendisse, quæ sint rationes medicæ, Tobiæ historiam illustrantes, &, ne quid diffiteamur, dubiam reddentes? Cætera vero debitè venerari, quibus abundat, morales, ethicas, politicas, theologicas, quæ aliunde etiam robur suum habent, veritates. Unde vel tandem totam epicrisin his includi versiculis (*ee*) posse reputaverit nonnemo:

Cornea Tobiæ pateat moralibus, ipsi
Historiæ toti sed porta patescat eburna!

TANTUM.

NUMINIS Cultor, Venerans Parentum,
In Ducem gratus fuerat Tobiæ
Filius cœci, Medicusque, Felix
denique Sponsus.
Sis pari in summum pietate NUMEN,
Sis pari in fidos studio Parentes.
Sis pari in doctos quoque Raphaëles
CAROLE, cultu.
Sic eris fausto similis Tobiæ,
Sic erit felix studii Coronis,
Sic viis praxique tuæ patebit
cornea } porta.
aurea }

En pia, mi fili, monita, & pia Vota Parentis
M. S. D. BRECHTII, Past. Gom.

(*ee*) Allusio ad ingeniosum Virgilii commentum de duplici somniorum porta: corneâ, qua exeunt vera: Eburnâ, quæ falsa emittit. Aeneïd. L. VI. p. m. 753.